

pus dicit esse, si candidum, æquale & læue sit, & quam minime foetidum: maxime vero contrarium huic deterrimum esse.

Si primo modo sumamus, tum efficitur id ab utroque calore, externo & interno. In materia namque aliqua in parte præter naturam collecta, propter illius copiam primo alienus excitatur calor, qui putredinem inducit. At quia in putrefactione partes suppurationi contrariæ euaporant, tum calor internus exurgit, & materiam residuam & dispositam ad maturationem perfectam perducere conatur. Hinc Auenzoar ^{g lib. 1. c. 9, tract. 9.} voluit, suppurationem fieri, & à calore externo & ab innato, qui simul agentes in humorem, eum partim maturant, partim dissipant.

Si secundo modo accipiatur, solum à calore natiuo fiet, & sic Galenus ^{h 5. simpl. 6.} intelligendus, dum voluit, suppurationem fieri a calore natiuo, vbi tres alterationis species constituit. Idem videtur voluisse Auerroes ^{i 5. collect. 5.} i, dum statuit, medicamenta suppurantia temperata & natiuo calori similia esse debere. Quæ omnia videntur ex Aristotele ^{k 4. meteor. 2.} k de-lumpta.

Putrefacientia, *συνπικνωσις*, corrumpentia medicamenta, ea dicuntur, quæ calore suo nostrum dissipant, aut in igneum conuertunt, & mala qualitate humidum radicale absumendo, tabem & putredinem cum foetore inducunt. Hæc sequuntur caliditatem summam, & siccitatem in substantia crassa, vt videmus in cathæreticis, & escharoticis. minus tamen intensus est calor in septicis quam cathæreticis.